

POSITIONES JURIDICÆ  
DE  
ADOPTIONIBUS

Quas

PRÆSIDE

*VIRO Nobilissimo, Amplissimo,  
Consultissimo, atque Excellentissimo,*

DOMINO

JOHANNEN HENRICO  
FELTZIO,

V. J. D. Pandect. & Juris Canon.

Professore Publico Ordinario Capituli  
Thomani Canonico,

*ad Diem 17. Junii M. DCCXX.*

solenniter defendere conabitur.

FRANCISCUS JOSEPHUS  
WATRONVILLE

de Pintheville, Virodunensis.

Diss. jur. civ.

27,26

48. 12519

ARGENTINÆ

Typis Typographiæ Regiæ

DEO  
PATRIÆ  
PARENTIBVS  
ET  
AMICIS.



POSITIONES JURIDICÆ  
DE  
ADOPTIONIBUS

POSITIO I



Adoptio benè definitur, quod sit actus legitimus, quo ij, qui naturâ liberi non sunt, in locum liberorum assumuntur.

II.

Hinc non est protinus adoptio, si quis aliquem, ut filium educaverit, vel pro filio suo habuerit, privatâ tantum voluntate.

III.

Adoptio ratione originis juri Gentium, ratione formæ specialis juri Romanorum civili rectè adscribitur.

IV.

IV.

Rectè dividitur Adoptio in Adóptionem in specie dictam, & Arrogationem: Hæc Principis auctoritatem desiderat, & hominem sui juris requirit; Illa coram magistratu fieri potest, & locum habet in eo, qui est sub patriâ potestate.

V.

Ratio, cur arrogatio majorem requirat auctoritatem, quam adoptio, est, quod in illa majus præjudicium versetur, quam in hæc, cum Arrogatus cum omnibus bonis suis transeat in potestatem Arrogantis; Non item Adoptatus; & hic patrem habet, qui optimè ipsi consulturus videtur; non arrogandus.

VI.

Adoptio fieri potest coram quovis magistratu, etiam eò, qui non præcisè habet jurisdictionem in Adoptantem, vel Adoptatum, modo in genere ratione negotii hujus habeat jurisdictionem competentem.

VII.

Adoptio in specie dicta rectè iterum dividitur in plenam sive perfectam, & minus plenam  
sivè

sive imperfectam. Illa est, quæ fit ab Ascenden-  
tium aliquo. Hæc, quæ ab aliô extraneo. Illa  
operatur patriam potestatem, non hæc.

VIII.

Arrogatio impuberis non nisi causâ cognitâ  
fieri potest, ubi considerantur facultates tam Ar-  
rogantis, quam Arrogati, mores Arrogatoris,  
ætas ejusdem, liberi, quos forte habet Arrogator,  
& numerus eorum.

IX.

Arrogator impuberis cavere tenetur, se, si  
intra pubertatem pupillus decesserit, restitutu-  
rum bona iis, qui, si arrogatio non esset facta,  
fuissent successuri.

X.

Si ergo post pubertatem moriatur Arroga-  
tus, bona ejus retinet Arrogator, nisi testamen-  
to ille aliter disposuerit.

XI.

Impubes Arrogatus dignus emancipatione  
a Justiniano dicitur, qui malis moribus meritus  
est, ut dimitteretur.

XII.

XII.

Quærunt, quid per quartam partem bonorum intelligatur? An quarta omnium bonorum? An vero quarta portionis, quæ ab intestato debetur? Nos de jure Romanô prius defendemus.

XIII.

Nemo potest aliquem in locum fratris adoptare, quia adoptio naturam imitatur. Fratrem tamen in locum filii adoptare, non est prohibitum.

XIV.

Requiritur jure Romano, ut adoptaturus plenâ pubertate, id est, decem & octo annis, præcedat adoptandum, etiamsi naturaliter quis anno XIV. generare possit.

XV.

Qui filium non habet, adoptare potest in nepotem; Et, qui uxorem non habet, in filium; non obstante regulâ: adoptio naturam imitatur.

XVI.

XVI.

Quotiescunque aliquis aliquem in nepotem adoptat, quasi ex filiô, quem naturalem habet, filii consensus requiritur.

XVII.

Si tamen filius dissentiat, hoc non impedit, quominus adoptio ratione avi valeat.

XVIII.

Avus nepotem ex filio potest dare in Adoptionem sine consensu filii.

XIX.

Ignobilis a Nobili arrogatus videtur ex jure Romano nobilitatem adipisci: secus jure hodierno.

XX.

Spadones adoptare possunt. Castrati non item.

XXI.

Fæminæ adoptare non possunt ad effectum potestatis in liberos acquirendæ; possunt autem in solatium liberorum amissorum.

XXII.

XXII.

Non Arrogatus tantum transit in potestatem  
Arrogatoris, sed & liberi ejus.

XXIII.

Dominus, qui actis intervenientibus servum  
suum vocavit filium, censetur ei libertatem de-  
disse, non tamen jus filii.

XXIV.

Affinis Adoptioni est unio prolium, sive actus  
legitimus, quo liberi ex diversis matrimoniis na-  
ti, vel nascituri ratione successionis, a Parentibus  
exæquantur, ut quasi ex uno matrimonio  
nati habeantur.

